c fastidia ciborum discutit, & elangueſcentē inuitat appetentiam. Rabioſi canis morſu, aut ſerpentis ictu liberat, ſi contrita cum ruta & melle folia indantur, dein cocta in uino bibantur. Libidinem extinguit ore ieiuno ſumpta. Laſsitudines reficit, thoracem expurgat. Supra febricitantis caput impoſita, fertur ad ſe feruorē elicere. Valere contra faſcinationes adfirmant, ſi quis eam ſecum geſtarit.

DE AERA▸ CAP▸ XLIIII▸

NOMINA.

Officinarum error.

AIPA, ἄιβυλος, ἄιζωϊνιον Græcis: Lolium Latinis dicitur. Officinæ nōnullæ, non ſine magno errore, pro Melanthio ſeu Nigella utuntur, ut non temerè etiam Pſeudomelanthion dici queat. Germanis Ratten / oder Rornnegele appellatur.

FORMA.

Folio conſtat anguſto, Theophraſto lib. viij. de plantarū hiſtoria, cap. vij. teſte, pingui & piloſo, flore ſubpurpureo, ſemine exili in ſiliqua hiſpida, uel ut Plinius ait, in cortice aculeato. Ex qua ſiquidem deſcriptione ſatis perſpicuum fit omnibus,

Pſeudomelanthion eſt Lolium.

Pſeudomelanthion hoc eſſe Lolium: folia nanq; Porri habet, oblonga, hirſuta, florem purpureū, ſemen in piloſa, longa, angulata, ac per interualla ſtriata ſiliqua. Et ut paucis ſingula complectar, hordeo, cuius ut reliquarū frugum peſtis & uitium eſt, tota effigie non diſsimile eſt.

LOCVS.

Non ſolum in triticea & hordeacea, ſed in omni ferè alia ſegete per ſe prouenit. Frugum acerba peſtis, ideoq; à Vergilio infelix appellatum.

D

TEMPVS.

Iunio menſe floret, & ſubinde ſemen profert.

TEMPERAMENTVM.

Deſiccat & calfacit efficaciter, ut propinquum ſit acribus magis quàm Iris: ſed non eſt perinde ut illa tenuium partium, uerum multum abeſt. Secundum hoc ponat ipſum quiſpiam in principio tertij ordinis excalefacientium, in fine uero ſecundi exiccantium.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Lolium molitum nomas, putredines, & gangrenas cum raphanis & ſale illitum compeſcit. Feras impetigines, & lepras cum ſulphure uiuo & aceto ſanat. Strumas quoque cum fimo columbino & lini ſemine in uino decoctum diſcutit. Quæ ægrè maturantur rumpit. Decoctū ex aqua mulſa & illitum, iſchiadicis prodeſt. Si cum polenta, aut myrrha, aut croco, aut thure ſuffitum, conceptiones adiuuat.

EX PLINIO.

Lolium molitum ex aceto coctum impoſitumq; ſanat impetigines, celerius quo ſæpius mutatum eſt. Medetur & podagris, aliiſq; doloribus cum oxymelite. Curatio hæc à cæteris differt. Aceti ſextario uno dilui mellis uncias duas iuſtum eſt: ita temperatis ſextariis tribus, decocta farina Lolij ſextariis duobus uſque ad craſsitudinem, calidumq; ipſum imponi dolentibus membris. Eadem farina extrahit oſſa fracta. Magis etiam cæteris purgat ulcera uetera, & gangrænas. Cum raphano & ſale & aceto lichenas. Lepras cum ſulphure uiuo. Et capitis dolores cum adipe anſerino impoſita fronti. Strumas & panos concoquit cum fimo columbino, & lini ſemine decocta in uino.

APPENDIX.

Iam cōmemoratas facultates huic etiam herbæ, quā Germani Ratten nomināt, recentio-